TERTULLIANUS. CYPRIANUS
12. Jh. Seite 81v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26870
Copyright: Admont, Benediktinerstift



uni uersa fraternitas. nemo ad uersum sacerdotum collegium quicquam moueret. nemo
per diuinum iudicium. per populi suffragium. per eo episcoporum consensum iudicantibus se. non iam
episcopis. sed et deo facerent iniuriam. nemo discidio unitatis xpi ecclesiam discinde-
ret. nemo sibi placens. ac tumens. seorsum foris heresim nouam conderet.
nisi ita est aliquis sacrilege temeritatis. ac perditae mentis. qui putet sine dei iudicio
fieri sacerdotem. cum dominus in euangelio suo dicat. Nonne duo passeres asse uene-
unt. et neutrum eorum cadit in terram sine patris uoluntate. Cum ille nec mi-
nima fieri sine uoluntate dei dicat. existimat aliquis summa et magna aut
nesciente aut permittente deo in ecclesia dei fieri. et sacerdotes. i. dispensatores. non
de eius sententia ordinari. hoc est fidem non habere qua uiuimus. hoc est deo hono-
rem non dare. cuius nutu et arbitrio regi et gubernari omnia scimus et credimus.
Plane episcopi non de uoluntate dei fiunt. sed qui extra ecclesiam dei fiunt. sed qui contra dis-
positionem et traditionem euangelii fiunt. sicut ipse dominus in xii prophetis ponit. et dicit.
Sibi metipsis regem constituerunt et non per me. Et iterum. Sacrificia eorum tanquam panis luc-
tus. omnes qui manducant ea contaminabuntur. Et per esayam spiritus sanctus clamat et dicit.
Ve uobis fidei desertores. hec dicit dominus. Habuistis consilium non per me. et fecistis conuen-
tionem non per spiritum meum. adicere peccata super peccata. Ceterum dico. ego prouo-
catus. dico compulsus. quando episcopus in locum defuncti substituitur. quando populi
uniuersi suffragio in pace eligitur. quando dei auxilio in persecutione protegitur.
collegis omnibus fideliter iunctus plebi suae in episcopatu quadriennio iam probatus
in quiete seruiens. disciplinae in tempestate prescriptus. applicito et adiuncto
episcopatus sui nomine totiens ad legationem petitus. in circo in amphithea-
tro dominicae dignationis testimonio honoratus. his ipsis etiam diebus quibus
ad te litteras feci. ob sacrificia quae edicto proposito celebrare populus iubebatur
ac clamore populariu. ad legionem denuo postulatus in circo. Cum talis frater
carissime a quibus dam desperatis et perditis extra ecclesiam dei constitutis impug-
nari uidetur. apparet quis impugnet. non scilicet xpus qui sacerdotem aut constituit
aut protegit. sed ille qui xpi ad uersarius et ecclesiae eius inimicus. ob hoc ecclesiae preposi-
tum. sua infestatione persequitur. ut gubernatore sublato. atrocius atque uio-
lentius circa ecclesiam naufragia crassetur. Nec quemquam fidelem et euangelii
memorem. atque apostoli premonentis mandata retinentem. mouere debet
frater karissime si quidam in extremis temporibus superbi et contumaces. et sacerdotum dei hos-
tes. aut de ecclesia recedunt. aut contra ecclesiam faciunt. quando tales nunc
futuros et dominus et apostoli eius ante predixerint. nec prepositum seruum deseri.
a quibus dam miretur aliquis quando ipsum dominum. magnalia et mirabilia summa
facientem. et uirtutes dei patris factorum suorum testimonio comprobantem
discipuli reliquerint. tamen ille non increpauit recedentes. aut grauiter comi-
natus est. sed magis est uersus ad apostolos suos dixit. Numquid et uos uultis ire. Ser-

dico do lens.

iubebat